



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

liv [i.e. ix]. Materiæ & forma respondent singulæ subsistentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



sine proprio suo termino, si terminus realiter adæquatè à re terminata distingua-  
tur. Conservabitur verò talis natura eo-  
dem influxu, quo conservabatur cum subsi-  
stentia; quia ab hac non dependet ut ab in-  
fluente.

IX. Materiæ & formæ respondent di-  
stinctæ subsistentiæ, ex quibus componi-  
tur una subsistentia compositi composita:  
convenientius enim est, assignare materiæ  
permanenti subsistentiam permanentem, for-  
mæ caducæ subsistentiam caducam, ne per-  
eunte formâ semper necesse sit dicere, perire  
totam subsistentiam; & entitati compositæ  
subsistentiam compositam; videtur quo-  
quæ excedere vires subsistentiæ creatæ, quæ  
de facto datur, posse simul terminare & per-  
ficere distinctas compositi partes essentia-  
les, unde, quòd id fecerit unica subsisten-  
tia Verbi, infinitæ ejus adscribendum est  
perfectiõni. Nequæ his obstat, quòd for-  
ma materialis sit in subjecto sustentationis,  
quòdque materia & forma perseverent sibi  
invicem communicabiles; nam subsisten-  
tiæ munus non est, reddere terminum,  
quem afficit, independentem à subjecto,



aut incommunicabilem alteri, in ordine ad constituendum unum compositum; alia enim est inhaerentia, quâ quid inhaeret subjecto incompleto tanquam pars comparti ad constituendum totum: alia, quâ quid inhaeret subjecto completo seu alteri supposito, posteriorem, non priorem tollit subsistentia: similiter alia est communicabilitas materiae & formae ad invicem in ordine ad constituendum unum compositum; alia est communicabilitas materiae & formae ad alienum suppositum; similiter posteriorem, non priorem tollit subsistentia. Quinimò & unio inter materiam & formam suam quoque habet subsistentiam partialem, quae supplet simul vices unionis inter subsistentiam materiae & inter subsistentiam formae, in ordine ad conflandam subsistentiam unam totalem compositam; non tamen ideo unioni hypostaticae sua quoque assignanda est subsistentia, cum hæc subsistat subsistentiâ Verbi. Hujus rei hæc esse posset ratio sua: Verbum nihil assumpsit, nisi quod, si non fuisset assumptum, suâ substitisset subsistentiâ, jam vero suppono tanquam probabilius è Theologia; verbum assumpsisse



corpus, animam, & unionem inter ea tribus partialibus unionibus hypostaticis, è quilla, quæ terminabatur ad unionem, in morte Christi periit; nequè id obstat axiomatici: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*: siquidem hoc tantum intelligitur de assumptione partium ipsarum essentialium; constat enim multas uniones continuativas partium corporis Christi per lacerationem & vulnera periisse, quarum aliquæ nunquam sunt resumptæ.

X. Nihil est in eo implicantia, quòd una subsistentia creata pergens afficere naturam propriam, simul terminet unam, aut plures naturas alienas; non enim id arguit vim infinitam in subsistentia creata, sicut vim infinitam non supponit in albedine, quòd eadem possit plura & plura in infinitum subjecta informare, accedente omnipotentia divinâ plurium & plurium unionum productiva. In isto itaque casu talis subsistentia immediate seipsâ afficeret & terminaret naturam propriam, utpote respectu cuius non est indifferens, ut communicet illi effectum suum formalem, vel non; alias verò naturas terminaret mediâ unionem, utpote respectu